CATALOGUS

CODICUM GRAECORUM

BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE

DIGESSERUNT

AEMIDIUS MARTINI ET DOMINICUS BASSI

TOMUS I

MEDIOLANI

IMPENSIS U. HOEPLI

MCMVI

Ex typis VINCENTII BONA.
Augustae Taurinorum.

(8792)

MEMORIAE
MATRIS DILECTISSIMAE
AEMIDIUS MARTINI
D. D. D.

MEMORIAE
MATRIS DILECTISSIMAE
DOMINICUS BASSI
D. D. D.

INDEX TOTIUS OPERIS

PRAEFATIO

Codices graecos Ambrosianos, si paucos admodum excipis, omnes collegit Federicus cardinalis Borromaeus, qui neque impensis neque industriae neque curis pepercit ut thesaurum suum magis magisque in dies augeret, tum potissimum cum publicam in patria bibliothecam instituere decrevisset. Nec mirum id consequi potuisse hominem paene privatum eundemque ne maxime quidem opibus florentem, quod potentissimis vix principibus contigit, cum animadvertas quanta merito auctoritate valeret ob pietatem et doctrinam apud aetatis suae viros, qui omni vita atque cultu expoliti essent. **Federicus Borromaeus.**

At Borromaeus, qua erat liberalitate, cum sibi persuasisset novam esse bibliothecam erigendam, non modo voluit ut ea copia praestantiaque librorum ceteras bibliothecas aemularetur ac vinceret, quae tunc et in Italia et apud exteras gentes nobilissimae exstarent, verum etiam ut ad cuiuscumque generis, litterarum

praecipue studia promovenda quam maxime conferret. Ac si quis attentius propositum Federici secum reputaverit, infitias ire non poterit eum non tabularium eruditionis condere voluisse, sed fortassis vetusta illa Alexandriae Pergamique exempla quodammodo imitari conatum, ludum atque palaestram ingeniorum et quasi sapientiae officinam instruere (1). Profecto vires tanto tamque arduo labori partim defecerunt, nec omnia quae magno animo conceperat ad finem perducere potuit. Attamen quis non miretur incredibilem viri sollertiam et constantiam, praesertim si cum communi aequalium ignavia et socordia comparaverit? Multa quidem consecutus est; hoc autem potissimum ut suis tantum opibus apud nos bibliothecam excitaret quam iure in amplissimis adnumeraveris quae unquam floruerint.

Cum de Bibliotheca Ambrosiana plures iam inde ab origine non indocte scripserint (2), nobis in animo non

---

(1) Bibliothecae Ambrosianae Borromaeus aggregavit Collegium Doctorum, novem ab initio, qui in quovis litterarum genere versati libris et codicibus, quos Cardinalis collegerat, liberaliter uti possent, catalogos edere non possent; Collegium trilingue, ubi adulescentes italicas, latinas, graecas litteras discerent; typographeum ad opera Doctorum Collegii Ambrosiani imprimenda etc. Inter hos nonnulli magnam gloriam adepti sunt, ut Ludovicus Antonius Muratori et Angelus Mai. Cf. Ceruti infra laudatum, *passim*.

(2) Cf. A. Ceruti, *Biblioteca Ambrosiana* in volumine *Gli Istituti scientifici, letterari ed artistici di Milano. Memorie pubblicate per cura della Società storica lombarda in occasione del secondo Congresso storico italiano. II di settembre MDCCCLXXX*. Milano 1880. Quo in opere etiam ea laudantur quae de eodem argumento antea edita sunt.

est eorum vestigiis insistere. Verum enimvero magna nos spes tenet, in futurum, 'si di duint', rem ex integro retractandi et omnia in lucem edendi quae ad originem et historiam codicum graecorum illustrandam vel congessimus vel congerere confidimus. Sed in praesentia, nisi fallimur, abs re non erit ea in medium proferre quae ut plurimum ex ipsis codicibus erui possunt. Nam in hisce saepissime notulae quaedam inveniuntur eo ipso tempore inscriptae, quo libri in armaria Federici transferebantur.

Collectio codicum graecorum constat ex 1098 voluminibus (3), qui numerus vix paulo minor erat, cum a. 1609, d. octavo m. decembris, divo Ambrosio dicato, Borromaeus Bibliothecam publicavit; etenim pauca eademque non magni momenti volumina, quae post mortem Cardinalis immissa sunt. Maximam partem, quae inde a primordiis locum obtinuerant, empta fuerunt; non multa dono aut permutatione accepta, sed inter ea nonnulla quae magni iure aestimantur (4). Codd. graeci.

(3) In bibliothecis codicum graecorum italicis Ambrosiana post Vaticanam, Marcianam et Laurentianam quartum locum obtinet; quod fugit Henricum Omont, *Inventaire sommaire des manuscrits grecs de la Bibliothèque Nationale* I p. I in n.

(4) Huiusmodi sunt cod. **358** quem a. 1607 donavit Raphael Invitiatus episcopus Cephaleniae et Zacynthi, qui et ipse magnum codicis pretium ignorabat (cf. Mercati in *Rendiconti d. r. Istituto lombardo di sc. e lett.* 1897 p. 823), nec non codd. **491** et **1098**, quos Federicus habuit a. 1606 ex celeberrimo Bobiensi coenobio. Dono habiti sunt et codd. **31** a Camillo Riverta patricio Mediolanensi sine

Ut augendae supellectili cito consuleret, Federicus (quod pervulgatum est) quibusdam spectatae diligentiae familiaribus commisit ut librorum conquirendorum causa in eas regiones iter facerent, ubi possent facilius reperire. Quae itinera praecipue inter annos 1607 et 1608 incidisse constat. Munus codices graecos colligendi delatum est in primis Gratiae Mariae Gratio Senensi ex Sinalonga et Antonio Salmatio Montiferratensi ex Casali.

Gratia Maria Gratius. Gratio, quem a secretis adhibuerat, magnam benevolentiam praestabat Federicus, qui eius et consiliis et opera multis in negotiis usus est (5). Gratii nomen com-

---

a., **131** a Petro Glussiano item s. a., **200**. **298**. **688**. **1042** a Camillo Bosio ex Mutina a. 1606, **246** a Vincentio Contarino ex Patavio a. 1606, **347** a quodam graeco presbytero Italiae inf. a. 1606, **454** a Carolo Concino e comitibus Pennae s. a., **658** a Friderico Metio episcopo Thermularum a. 1606, **662** a Ioh. Baptista Portae Neapolitano s. a., **746** a Bernardino Gattono a. 1803, **920** ab Alexandro Turriano episcopo Sythiae et Hierapytnae s. a., **926** a Francisco Sadarino a. 1675, **1021** ab Octaviano Boldono a. 1603, **1029** (ff. 268-277) a Iohanne Sanctamaura librario s. a., **1090** a Iohanne Mercati a. 1901. De cod. **752** dubium, utrum sit necne donis adnumerandus. Inter dona recensendus nobis videtur et cod. **1082**, quem Cardinali hospiti benevolentissimo legaverat David Colvillus Scotus (an cum aliis codicibus et autographis ?). Cf. Mercati in *Rendiconti d. r. Istituto lombardo di sc. e lett.* 1898 p. 1225.

(5) Cf. Ceruti p. 103. — « Concessit [Gratius m. iunio a. 1597] Mediolanum, eius urbis Archiepiscopo Friderico Borromaeo multis in rebus, sed praesertim in instituendis Seminarii alumnis, in comparandis codicibus Graecis et Latinis et in eius Synodalibus Constitutionibus latine exponendis operam tribuens egregiam ». Fabroni, Historia Acad. Pisanae II p. 452 et n. — Quod ad nomen Gratium attinet

paret in 19 codicibus, emptis Pisis a. 1611 (6), ubi tunc temporis Academiae professoribus adscriptus erat (7); nec absonum est eundem etiam tres reliquos codices coemisse, quos ibidem eodem anno adquisitos esse comperimus. At multo plures exstant codices quos Gratius aliunde Bibliothecae Ambrosianae comparavit, in quibus tamen nomen eius desideratur. Iussu enim Borromaei Italiam mediam et inferiorem explorandam curavit, et mirum quam magnam ex hac peregrinatione, quae eum aliquot menses continuos in Apuliae, Iapygiae Bruttiorumque oppidis detinuit, manu scriptorum vim Mediolanum reportaverit (8).

---

animadvertendum est in codicibus quidem esse Gratia, sed apud aequales praevaluisse formam qua usi sumus.

(6) In uno cod. **1031** quaevis nota temporis desideratur, sed probabile est cum aliis emptum fuisse. Decem codices fuerunt Hieronymi Mercurialis, ut infra memorabimus.

(7) Fortassis Gratius ineunte a. 1610 in patriam rediit. Cf. Ceruti p. 109 n.; et Boscha, De origine et statu Bibliothecae Ambrosianae hemidecas. Mediolani 1672, p. 29.

(8) In iis quae de Gratii itinere et de codicibus graecis eius opera emptis narrantur non omnia perspicua sunt. Ex epistula (cod. Ambros. G 252 inf., 1), quam Ceruti laudat (p. 112), constat eum m. ianuario ineunte Neapoli versari, ubi quemadmodum ex aliis litteris comperimus in eodem cod. exstantibus, quas cum nobis benigne communicavit Achilles Ratti, Bibliothecae Ambrosianae doctor, totum mensem commoratus est, ut emptioni Bibliothecae Pinellianae vacaret. Die autem 2 m. februarii eiusdem anni Cardinali significat se proximo die in Apuliam et Bruttios profecturum, et d. 28 m. mai ex Venetiis, quo fortassis maritimo itinere reverterat, Borromaeum certiorem facit se quattuor ante dies in eam urbem pervenisse. Qua re satis liquet codices, quos in Italia inferiore comparaverat, ante a. 1607

Sed alio quoque nomine Gratius de Ambrosiana bene meritus est. Nam omnibus viribus contendit, ne Pinelliana Bibliotheca, quam multi cupidissime appetebant, e Borromaei manibus effugeret. De illius collectionis praestantia, quam ipse viserat, Cardinalem certiorem facit litteris d. 9 et 23 m. ianuarii a. 1607 Neapoli datis (9); et quoniam diutius ea in urbe versari non posset, mandata tradidit Francisco Lombardo, Iulio Caesari Capacio, Iohanni Baptistae Portae (10), Fabio Leuco bi-

---

emere non potuisse. At contra e codicibus in ea regione adquisitis, quorum tempus emptionis cognitum sit, plurimi empti sunt a. 1606, aliquot, in quibus paene omnes qui e Bruttiis manant, advecti dicuntur a. 1607, quae notula ubique, nisi fallimur, m. Antonii Olgiati est, qui cum ipse libros ad Bibliothecam Borromaei missos quotidie reciperet, vix poterat in errorem incidere. Praeterea Bosca de hoc itinere locutus (pp. 31-34) tam distincte diligenterque locos indicat, unde reapse codices complures provenisse deprehendimus, ut vix negaveris hanc ipsam eius diligentiam veritatis argumentum videri. Quid igitur cogitandum est? Num bis, a. scilicet 1606 et 1607, idem iter Gratium fecisse? Sed haec opinio nullo prorsus argumento inniteretur. Num erravisse Olgiatum in suis notulis apponendis? At id nemo incredibile non dixerit. Quibus de causis id probabilius existimamus, Borromaeum, cum per amicos atque internuncios tot codices a. 1606 ex Italia inferiore sibi comparasset, insequente anno decrevisse Gratium illuc mittere adeo magis quod hic magno sibi usui esse posset in Bibliotheca Pinelliana adquirenda, quam Federicus magnopere appetebat. Ceterum etiam ex epistula Antonii Aquinatis episcopi Sarnensis ad Cardinalem missa d. 15 m. decembris a. 1604 manifestum fit nonnullis ante annis quam Gratius in Italiam inferiorem peragraret, Borromaeum codices ex hac regione quaesivisse et cum aliorum tum saltem Aquinatis verbis certiorem esse factum complures graecos codices adhuc in monasteriis Bruttiorum adservari.

(9) Cf. Ceruti p. 112.

(10) Iohannes Baptista Portae, qui sese officiosissimum in Borro-

bliopolae et Severo Turboli, S. Martini coenobiarchae, viris honestissimis et cum sibi familiaritate, tum Borromaeo obsequio devinctis (11).

Postea, cum in Italiam superiorem rediisset, quamquam Insubria relicta a latere Federici discesserat, nihilominus huius utilitati servire non destitit. De codicibus, quos Pisis emerat a. 1611, locuti sumus. Exstant litterae Patavii datae a. 1613, quibus multa de libris graecis manu scriptis edocet qui praesto erant, praesertim de codice quodam Aphthonii et Hermogenis pervetusto et optimae notae, sed male habito (12), quem emptum esse non credimus.

Salmatius vero, cui officium obtigerat Graeciam insulasque ac si copia daretur Constantinopolim Asiam- Antonius Salmatius.

---

maeum ostendit, non modo illi codicem donat (**662**), sed cum comperisset eum et imagines virorum insignium conquirere, quibus Bibliothecae aulas ornaret, se promptissimum esse scribit ad earum tabularum exemplaria mittenda, quas ipse possideret (cf. Ceruti p. 200 n. 2). — Praeter eos quos nominavimus alii sunt qui Gratium in comparandis codicibus adiuverunt, ut Camillus Bosius Mutinensis, Hannibal Lomenius Senensis, Placidus Marra episcopus Melfiae, Fridericus Metius episcopus Thermularum, Dominicus Trevisanus et Iacobus Baroccius Patavini etc. Cfr. Boscha p. 29 sqq.; Ceruti p. 108 sqq.

(11) Cf. Ceruti p. 113. Die 30 m. ianuarii a. 1607 (cod. Ambros. G 252 inf., 14) Gratius Borromaeo significat auctionem, quae pridie locum habere debebat, in dies differri ob machinationes ducissae Acheruntinae [*di Acerenza*], tutricis heredum, quae sibi persuaserat posse non minus quam 14 milia ducatorum obtineri, si nova Bibliothecae aestimatio fieret.

(12) Cf. Ceruti p. 109.

que perscrutandi, Venetiis profectus est m. octobri a. 1607 (13) cum Dominico Hierosolymitano quondam rabbino, qui ad conquirenda hebraicae linguae volumina tamquam idoneus delectus fuerat. Cum Corcyram devenissent, Dominicus, alterum vix mensem moratus, in Italiam rediit aliquot secum codices referens (14). At Salmatius, quamquam a comite desertus erat, tamen ne sic quidem animum demisit, quin immo tanta perseverantia pertinaciaque mandata prosecutus est, ut, si ipsius testimonio credideris, in ipsum capitis periculum incurreret (15). Etenim brevi omnia eius regionis monasteria codicibus paene denudavit (16); interea ceteras finitimas insulas continentemque terram per internuncios investigabat; itaque putandum est omnium voluminum in possessionem venisse quae e Thessalia advecta proferuntur nobilissimique illius Pentateuchi (808) a Macedonia oriundi. Qua in re multi Salmatio auxilio fuerunt, quorum nonnulli in eius epistulis memorantur, ut Andreas quidam Columbus Venetus, qui Corcyrae morabatur (17), Hieronymus Beulcus Mediolanensis, quem

(13) Ut intellegitur ex epist. Gratii, quam laudat Ceruti p. 108.

(14) Cf. Ceruti p. 104 n. 2.

(15) Cf. Ceruti p. 106 et *passim.*

(16) Monachi tamen (*Caloieri*, ut vulgari nomine usus Salmatius appellat) minimi codices quos haberent aestimantes nulla cura custodiebant: cf. quae Salmatius narrat in litteris d. 25 m. aprilis a. 1608 ap. Ceruti p. 106.

(17) Ceruti ibidem.

rem argentariam Constantinopoli exercuisse Bosca auctor est (18), Alexander denique Turrianus progenie Mediolanensis, episcopus Sythiae et Hierapytnae, qui litteris ad Borromaeum datis d. 15 m. decembris a. 1607 et librum mittit (absque dubio nostrum **920**) et dolet se eius propositum de instituenda Mediolani bibliotheca nihil scisse; quod nisi ignoravisset, Cardinali libenter daturus esset magnam librorum copiam, quos in aedibus Vaticanis collocaverat: ac pollicetur se in posterum nil intentatum relicturum ut rationibus eius consuleret (19). Die 15 m. mai a. 1608 Salmatius tanta industria functus erat officio, ut adfirmare posset vix quinque vel sex codices bonae notae in insula adhuc superesse; m. autem augusto sperabat se Cretam aditurum, deinde Patmum et insulas Aegaei maris; et mense proximo per litteras admonet se alios codices transmissurum '*che saranno di rara antichità et de buoni autori*' (20). Sed repente d. 24 m. septembris Mediolanum a Borromaeo revocatus est (21), qui grandem iam pecuniam erogaverat nec patiebatur, ut credibile est, amicum hominem longae

---

(18) Op. cit. p. 28. Hieronymus Beulcus (*Beolco*), quem Bosca vocat 'Bibulcus', a. 1606 cod. **752** e Constantinopoli dono [?] misit.

(19) Cf. Ceruti p. 165.

(20) Cf. Ceruti p. 106. Litteris aliis d. 15 m. mai datis, quas Ceruti ibidem laudat, Salmatius de quattuor codicibus membr. vetustissimis loquitur, quos e continente terra acceptos 20 circiter *crosattis* emerat. In his quandam in Esaiam Catenam memorat, quae est fortassis cod. **412**.

(21) Cf. Ceruti p. 108.

et difficili navigationi obnoxium in discrimen offerre. Ideo Salmatius, cum anno amplius Corcyrae fuisset, d. 8 m. novembris Venetias appulit (22).

Quodsi nomen Gratii in paucis voluminibus reperitur, nusquam in codicibus nomen Salmatii obvium. Cuius rei causam ex eiusdem litteris cognoscimus, in quibus Antonio Olgiato significanti se velle nomen eius in libris quos emeret inscribere, respondit se id nullo pacto permissurum; satis esse si codices Olgiati nomine decorarentur (23). Verum enimvero quemadmodum Gratius complures ex libris manu scriptis colligendos curavit qui in media et inferiore Italia conquisiti sunt, ita putandum est Salmatio omnes fere codices deberi, quos e Graecia migravisse conici licet. Qui sane utrique longe maiore sunt numero quam ex notulis esse dixeris, quas in voluminibus deprehendimus, ut ceterum ex aliis quoque indiciis eruitur, palaeographicis in primis.

Collectiones et possessores.

Nunc haud importunum erit collectiones praecipuas, quae in Ambrosianam Bibliothecam confluxerunt, summatim recensere atque possessorum nomina indicare, quae vel frequentiora adsunt vel diversis de causis notabiliora videntur.

Ioh. Vincentius Pinellus.

1. Ioh. Vincentii Pinelli patricii Ianuensis († Patavii a. 1601) fuerunt aut fuisse opinamur non minus quam codices 268. Insignis huius Bibliothecae casus, quam

(22) Cf. ibidem.
(23) Cf. epist. d. 28 m. aprilis a. 1608 ap. Ceruti p. 105.

vir ille perfecte planeque eruditus per quadraginta annos diligentissime studiosissimeque confecerat, cum ab aliis, tum breviter ac dilucide narrantur ab Angelo Mai in praefatione Homeri Ambrosiani (24), qui pretiosissimum hoc eiusdem bibliothecae κειμήλιον primus in lucem protulit. Etsi enim et dum Pinellus letali morbo conflictaretur et post eius obitum ob servi cuiusdam perversitatem et Veneti Senatus suspiciones et rapacitatem piratarum (25) plurimis iisdemque optimis codicibus, libris documentisque fuerat orbata, tamen quae pars adhuc tot fortunae insidias vitaverat et heredi Cosimo Pinello, Iuliani in oppido proxime Neapolim, custodiebatur, tanti erat momenti, ut mirari nequeamus si Borromaeus omnia expertus sit ne thesaurus ille in alienas manus transiret. Tandem post multas moras,

---

(24) Cf. Mai, Iliadis fragmenta... (v. infra n. 47).

(25) Notum est unum e tribus navigiis, quae Neapolim libros Pinellianos transvehebant, tribus et triginta arcis onustum proxime Anconam in potestatem Turcarum delapsum esse, « qui pro divite praeda postquam se chartis potitos noverunt, rem sibi nec utilem nec probe aestimatam totis undis dissipare coeperunt », ut scribit Mai (op. cit. p. V). Quo factum est ut undecim arcae omnino perierint, viginti autem et duae ab accolis recuperatae sint et heredibus restitutae. Huius calamitatis narrationem videsis in Vita Pinelli, quam edidit Paulus Gualdus (Augustae Vindel. 1607, p. 111) et in epist. eiusdem ad Borromaeum ap. Ceruti p. 110 n. Etenim complures codices Pinelliani madore foedati et corrupti sunt, qua in re huius infortunii indicia agnosci non immerito solent, etsi haud obliviscendum est ne Iuliani quidem tanta eos cura fuisse servatos, ut imbrium damnis obnoxii non essent. Cf. litteras Gratii d. 9 m. ianuarii ad Borromaeum datas, quas indicavimus n. 9.

auctione Neapoli facta m. iunio a. 1608, Pinellianae reliquiae Cardinali addictae fuerunt pretio ducatorum 3050, cura autem Ioh. Baptistae Besutii et Fabii Leuci.

Sed ne tunc quidem omnia quae obstarent remota sunt. Cum libri in monasterio neapolitano S. Severini ad tempus essent locati, statim oportuit eos inde in aliam sedem transferre, ubi tutiorem haberent receptum contra cupiditatem et audaciam quorundam novitiorum et artificia fraudesque heredum, qui vafris multorum consiliis illecti, Iesuitarum praesertim et in primis patris cuiusdam Bartholomaei de Amicis lectoris publici, spem animo alebant posse stipulationem rescindi novaque auctione pretium efferre. Sed auctoritas Borromaei nominis praevaluit, et a. 1609 libri Pinelliani, septuaginta arcis inclusi, mitioribus ventis et faustioribus ominibus revertentes per Ianuam Mediolanum attigerunt (26).

Octav. Ferrarius et Caesar Rovidius. 2. Plerique codices pertinuerunt Octaviano Ferrario antecessori Ticinensi et Caesari Rovidio discipulo atque sodali. Ferrarii nomen invenimus in 30, Rovidii in 40, utriusque in 21 libris. Sed veri simile est etiam codices, in quibus Ferrarii nomen tantummodo inscribitur, post huius mortem in Caesaris Rovidii potesta-

(26) Cf. Boscha p. 35; Ceruti pp. 113-114; praeterea Ceriani in praefatione ad Homerum Ambros., infra n. 44 laudatum, pp. 1-2. — Codicum Pinellianorum elenchum redegit Constantinus quidam *de Notari* Nolanus, dum Neapoli in arcis includebantur, ut legitur in eiusdem Constantini epist. d. 5 m. februarii ad Borromaeum, quam indicat Ceruti p. 115 n. 1.

tem devenisse, inde in Alexandri fratris, quo exstincto iure emptionis in Bibliotheca Ambrosiana quievisse, ubi a. 1607 esse constat cum aliis libris et autographis Caesaris (27).

3. Gabriel Severus Philadelphiae metropolita († Venetiis a. 1616) possederat 30, fortassis 31 codices, quos Federicus Venetiis emit. Quisnam hos codices adquisiverit, incertum. Inter eos, quorum nomina cognoscimus, non minus Gratio quam Salmatio hoc meritum tribui licet, quia uterque Venetam regionem comparandorum codicum causa peragraverat et utrique amici erant sollertissimi qui, si qua volumina haberi possent, sine mora per litteras renunciabant. Adservantur adhuc in Ambrosiana inter epistulas ad Borromaeum datas Gratii litterae ex Patavio d. 28 m. mai a. 1607, in quibus mentio fit codicum nonnullorum, qui archiepiscopi Philadelphiensis erant (28). Sed manifestum est ad nostros codices spectare non posse, quippe qui iam pridem Gabriel Severus.

(27) Ap. Argelati, Biblioth. scriptorum Mediolanensium col. 609 sq., invenimus bibliothecam Ferrarii legatam fuisse iurisconsulto Bartholomaeo Caprae. Num e legato excepti sunt codices graeci aut Rovidius a. 1589 post obitum Caprae omnes libros manu scriptos emit, quos Ferrarius possederat? De Rovidio, qui aut a. 1591 aut a. 1594 decessit, de eiusque libris cf. op. nuper cit. col. 1247 sqq.

(28) Cf. Ceruti p. 108. Potius opinandum est de nostris libris Gratium loqui, cum in epist. ad Borromaeum ex Patavio d. 14 m. augusti a. 1604 cod. Ambros. G 193 inf., 136 (quam Achilles Ratti nobiscum communicavit) nonnullos codices graecos memorat « *che si erano presi dall'arcivescovo* ».

(sc. 30 inde ab a. 1603, unus [**925**] ab a. 1602) Mediolanum migraverant. Ceterum non omnes Gabrielis codices, dum ipse in vivis erat, venumdati sunt. Alii post eius mortem venales prostiterunt, quorum aliquot in Bibliothecam Athenaei Taurinensis invecti (29).

Georgius Merula. 4. In 24 codicibus inest nomen Georgii Merulae Alexandrini, quorum 9 cum eiusdem subscriptione exhibent notulas: "ex Collegio Chalcorum, ex Schola Chalcorum, ex Schola charitatis mediolanensi" vel etiam nomen tum Hieronymi tum Bartholomaei Chalci. Unde coniciendum est codices Merulanos plerosque eandem viam secutos in Bibliothecam Borromaeam pervenisse. Sed unus (**31**) donum fuit Camilli Rivertae patricii Mediolanensis, duos (**58** et **330**), ubi nullum superioris domini nomen, Antonius Olgiatus se vidisse testatur a. 1603, duo denique (**531** et **792**) inter Rovidii libros acciti cum iis ad Federicum venerunt (30).

Franciscus quidam. 5. E scriniis Francisci cuiusdam (ipse φραγκίσκος

(29) De Gabriele Severo cf. Legrand, *Bibliographie hellénique*. 1885 II p. 144 sqq., qui in fine de codicibus nonnulla refert.

(30) Quid de libris, quos Georgius Merula possederat, factum esset, omnino ignorabamus: constabat tantum quidquid ille scripsisset, Ludovici Mauri decreto, Bartholomaeum Chalcum diligenter collectum in vincula coniecisse, ut ait Iacobus Antiquarius in litteris ad Politianum (cf. Gabotto et Badini Confalonieri, *Vita di Giorgio Merula* in *Rivista di storia, arte, archeologia della provincia di Alessandria* III 1894 p. 344). Nunc e nostris codicibus probabile fit eundem Bartholomaeum sive Ludovici sive ipsius Georgii voluntate codices graecos obtinuisse qui huius fuerant.

subscribi solet) evaserunt codices 21. Quisnam fuerit adhuc nos latuit. At vixisse patet circa finem s. XVI aut paulo ante, si quidem nomen eius in codicibus supparis aetatis invenitur, ut **835**. Sed collectio manu scriptorum, quam sibi fecerat, brevi tempore ac mirum in modum videtur esse disiecta. Etenim 9 codices e Thessalia advecti sunt et duo (**352** [+ **350**, nam uterque ab origine forsitan in unum coaluerat] et **891**) Corcyrae empti (ergo, ut videtur, Salmatio curante), unus (**258**) Soleti in Iapygia a. 1606 adquisitus est (num a Gratio vel Gratii opera?), tres (**309**. **835** et **919**) Pinellianis voluminibus sese addiderant, quorum ultimus (sc. **919**) " ex munere Donati Iannoctii ", unus denique (**402**) Sophianorum codicibus se immiscuit, de quibus mox dicendum erit.

6. Sophianorum codices 38 numerantur, quorum 22 Michael, 14 Manuel, 2 Theodorus proprio nomine inscripserunt. Michael Sophianus, qui artissimis amicitiae vinculis cum Pinello aliisque eiusdem aetatis doctis hominibus coniunctus erat et tantam in eorum coetu auctoritatem propter ingenium, eruditionem, probitatem sibi conciliaverat, ut eum praeceptorem filii Emanuel Filibertus Sabaudiae dux elegerit, notissimus est philologis (31). Manuelem contra, qui videtur mercaturas fecisse, propterea tantum novimus quod co-

Michael, Manuel et Theodorus Sophiani.

(31) Cf. Legrand op. cit. II p. 168 sqq.

gnatus Michaelis fuit, cuius cum opibus libros hereditavit (32). Qua re haud absurdum est credere etiam codices, in quibus nomen eius legitur, ex hereditate Michaelis accepisse. Difficilius autem est divinare quonam procurante Borromaeus eos adquisiverit. Ceruti firmissime adseverat fuisse Salmatium (33), quod profecto non negaverimus, dummodo concedatur emptionem aut in Italia aut per internuncios factam esse. Nam, ut diximus, a. 1606, quo codices e Chio insula advecti sunt, Salmatius nondum iter ingressus erat.

Theodorus denique prorsus ignotus. Codices, quos posséderat (**230** et **291**), cum libris Pinellianis, in quibus erant, in Bibliothecam Ambrosianam translati sunt.

Franciscus Patritius. 7. In 13 codicibus comparet nomen Francisci Pa-

---

(32) Cf. Legrand op. et t. cit. p. 175 n. 3, ubi haec Petri Victorii verba afferuntur: « Michael [Sophianus] mortuus est, et quae possidebat in potestatem venere cognati ipsius, qui domicilium non habet in Italia, neque apud aliquem hic vivit, raroque huc adventat, occupatus in continuis et longinquis navigationibus ». Mustoxydes (Ἑλληνομνήμων p. 263, ut nos comiter edocuit vir cl. P. Spyridion Lambros Atheniensis) e codicibus Sophianeis, qui in Ambrosianam illati sunt, hos tantum novit: Ptolemaei Geographiam et Dionysium Periegetem (sc. fortassis **997**), Gregorium Nazianzenum (**1014**), Odysseam cum scholiis (**299**) et Boethii versionem (fort. **536**).

(33) Op. cit. p. 105 n. 1. Verum litteris Salmatii d. 8 m. iunii a. 1608 (op. cit. p. 106) Corcyrae datis quaedam verba insunt, quibus dixeris id quodammodo probari quod Ceruti adfirmat. *Quelli* [sc. codices] *di Scio* sunt fortassis codices Sophianorum, quos eo magis intellegimus quanam de causa Salmatius memoret, si a se ipsos emptos esse putaverimus.

tritii philosophi († Romae a. 1597), cuius filius eos vendidit Romae a. 1600. Quamobrem in collectionibus codicum graecorum, de quibus notum sit quo anno Bibliothecam Borromaei auxerint, haec prior est. Codex **88** ipsius Patritii manu scriptus fuit; ceteri inter novellos, qui feruntur, adnumerandi.

8. Celeberrimo Hieronymo Mercuriali Foroliviensi medico († Pisis a. 1606) 10 codices fuerunt, quos Gratius, ut supra dictum est, Pisis emit a. 1611. Hi omnes ad rem medicam spectant; codex vero **888** est fortasse manu Mercurialis ipsius. De iis copiosius verbum facit Gratius in epistula ad Olgiatum data Pisis d. 15 m. ianuarii a. 1611 (34). Hieronymus Mercurialis.

9. In 6 codicibus exstat nomen Ioh. Baptistae Posthumi de Leone, quod nusquam alibi reperimus. Hi codices in Pinellianis erant et cum Pinellianis in Bibliothecam Ambrosianam devenerunt. Ioh. Bapt. Posthumus de Leone.

10. Ex libris Lucae Bonfii (an *Bonfigli?*), quod nomen etiam aliunde cognitum (35), 5 codices Borromaeus ha- Lucas Bonfius.

(34) In cod. Ambros. G 206 inf., 859. Epistulam indicavit Achilles Ratti. Nescimus utrum Mercurialis hos tantum, quos Borromaeus adquisivit, libros possederit; id vero constat eum studiose codices comparavisse: cuius rei testimonium habes in litteris, quas ab eo ad Sirletum card. missas d. 21 m. aprilis a. 1568 ex Monte regali prope Panormum Hieronymus Lagomarsini edidit in adnotationibus ad Iulii Pogiani epistt. (Romae 1758) IV p. 96: « *Portaremo (spero) qualche libro greco antico. de' quali parte ne sono appresso me, parte spero havere, nè manco d'ogni diligenza* ».

(35) Alius eiusdem codex graecus (A I 2) adservatur in Bibliotheca

buit, quorum 4 (**15. 83. 283** et **502**) Patavii (num a Gratio?) empti sunt a. 1603; de reliquo (**819**) neque locus neque annus emptionis indicatur.

Albertus Pius Carpensis.

11. Subscriptio Alberti Pii Carpensis invenitur in 3 codicibus, quorum duo priores pertinuerunt Georgio Vallae. Ex his codex **480** fuit serius Francisci Cicerei et cum eius libris in Ambrosianis locum habuit; codex **889** in potestatem venerat Francisci illius, de quo nuper nonnulla attigimus, et deinde Pinelli; de codice **43** quo tempore vel modo emptus sit, omnino ignoramus (36).

Antonius Maioragius.

12. Anno 1603 adquisiti sunt duo e tribus codicibus quos Marcus Antonius Maioragius possederat (**471** et **503**); tertius autem (**589**) posterius, sc. a. 1607, in Bibliothecam Ambrosianam immissus est. Atque item

---

Communali Bononiensi (cf. Olivieri, *Indice dei codici greci delle Biblioteche Universitaria e Comunale di Bologna* in *Studi italiani di filologia classica* III 1895 p. 468). E codicibus Bonfii unus (**502**) fuerat canonici Lianori Bononiensis, qui possederat etiam cod. **281**. De hoc Lianoro, cuius codex et in Bibliotheca Vallicellana invenitur, cf. P. De Nolhac, *La Bibliothèque de Fulvio Orsini*... Paris 1887, p. 170.

(36) De libris Georgii Vallae, quos habuit primum Albertus Pius Carpensis et postea Rudolphus card., Pius Alberti nepos, cf. J. L. Heiberg, *Beiträge zur Geschichte Georg Valla's und seiner Bibliothek* in *Beihefte zum Centralblatt für Bibliothekswesen* XVI 1896. Exstat in Ambrosiana alius codex, quem pariter Georgius possederat, nempe **516**, qui, nisi fallimur, idem est atque ille quem vetus indiculus ab Heiberg editus sub num. 150 designat. Codices vero **43** et **480** in eodem indiculo non reperimus.

a. 1603 ab heredibus Francisci Cicerei duo codices (**238** et **480**) sine dubio empti, et fortassis etiam tertius (**301**), qui etsi nullam temporis notam affert, attamen in eiusdem Cicerei libris erat. Qua re si quis et ad annum emptionis et ad magnam familiaritatem et necessitudinem animum attendat, quae inter Maioragium et Cicereium intercesserat (37), haud improbabile, nisi fallimur, putaverit Maioragii codices, cum in Cicerei possessione fuissent, ab huius heredibus Borromaeum comparavisse.

13. Codices 3 (**310. 462. 493**) olim erant Balthasaris Meliavaccae (*Migliavacca*) Papiensis, quorum duos posteriores deinde Caesar Rovidius habuit, nec absonum est hunc primum quoque (sc. **310**) habuisse suspicari, quamquam Rovidius solebat nomen in suis libris apponere. Balthasar Meliavacca.

14. Codices 6 (**96. 425. 436. 521. 550. 1057**) in miseris reliquiis recensendi sunt, quas Mediolanum e nobilissimis Vicecomitum bibliothecis servaverit. Codices **96. 425. 550** fuerunt Rovidii; ceteros qua via Borromaeus acceperit non novimus (38). Codd. Vicecomitum.

(37) « Ut sibi [sc. Maioragio Cicereius] in erudiendis discipulis, quorum tunc maxima confluentia in hac urbe erat, ei adiutorio esset ». Argelati, Biblioth. etc. col. 429 sq.

(38) De celeberrima Vicecomitum bibliotheca quae in Galliam migravit cf. *Indagini storiche, artistiche e bibliografiche sulla Libreria Visconteo-Sforzesca del castello di Pavia ... per cura di un bibliofilo* [G. d'Adda]. Milano 1875-1879. Nec importunum ducimus meminisse

P. Candidus Decembrius.

15. Petri Candidi Decembrii codices 3 (**289**. **690**. **715**) in Bibliothecam Borromaeam pervenerunt a. 1603. Cum autem libri eius plerique in monasterio mediolanensi Mariae Virginis Gratiarum locum obtinuissent, non improbabile est inde hos tres codices Cardinalem in rem suam derivasse (39).

Codd. clericorum regul. S. Antonii mediol., et Bobienses.

16. E bibliotheca clericorum regularium S. Antonii mediolanensis manant codices **753**. **887** et **1073**, quos forsitan Federicus aut dono aut permutatione, ut dono habuit cum aliis venerandae vetustatis documentis a Bobiensis Coenobii Benedictinis fragmentum Anthemii (**491**) et palimpsestum Frontonis (**1093**) (40).

Antonius Olgiatus.

Una cum Gratio et Salmatio memoratu maxime dignus est Antonius Olgiatus Lucanensis, qui in primis et sagacissimis et studiosissimis Borromaei fautoribus eminuit. Quapropter Ambrosianae praefectus electus fuit (41), idque munus ab instituta Bibliotheca ad a.

---

cod. nostrum Iliadis **1057** non alium esse fortassis atque illum qui in indice codicum Philippi Mariae a. 1426 confecto num. 8 distinguitur. Cf. ibidem p. 1 sqq.

(39) Cf. Borsa, *Pier Candido Decembrio e l'Umanismo in Lombardia* in *Archivio storico lombardo* XX 1893 p. 420. — Federicus praesertim cum monasteriis libros impressos pro codicibus permutare solebat. Cf. Gratii epist. (279 in cod. Ambros. G 198 inf.) ex Patavio d. 20 m. decembris 1608 ad eum missam, ap. Ceruti p. 108 sq.

(40) Codices Bobienses et Pinelliani iure a Mai dicuntur: « rei nostrae librariae robur, lumen et apex eruditionis, nidus ac thesaurus antiquitatis, fons opum pene intactarum » in praef. ad Iliadis fragmm. etc. p. IV.

(41) Ceruti p. 168 sq.

1647 administravit. In comparandis graecis codicibus non eadem fortuna qua Gratius et Salmatius usus est, quamvis et ipse pro virili parte contenderet et laboraret ut ampliorem nobilioremque Borromaei Bibliothecam efficeret. Sed cum (circa a. 1607) in Germaniam, Bataviam, Galliam missus esset, haud expectandum erat posse in iis regionibus tantam codicum graecorum messem colligere, quantam Salmatio Corcyra et Gratio Italia inferior suppeditabant. Nihilominus et antequam proficisceretur et postquam revertit, etiam in thesauro codicum graecorum augendo nisi primas, attamen non ultimas partes egisse videtur. Ceterum cum eo, utpote qui plurimum apud Federicum polleret, saepissime per litteras communicabant et qui ad conquirendos libros essent delecti et qui de iisdem aliquid significare possent. Sed hoc nomine potissimum laudandus est, quod in multis codicibus notulas apposuit vel apponendas curavit, quibus de locis unde prodierint deque anno quo in Bibliothecam devenerint certiores facti sumus.

Eius nomen exhibent codices 63 ut plurimum hac vel huiuscemodi formula: " Felicibus auspiciis Ill.^{mi} et Rev.^{mi} Federici Cardinalis Borromaei Archiepiscopi Mediolani, Bibliothecae et Collegii Ambrosiani fundatoris, Antonius Olgiatus [praefectus], qui primus eam tractavit, vidit et scripsit anno ... " (42).

(42) Exemplum Olgiati secuti, in 7 codicibus Iohannes Donatus Ferrarius, Bibliothecae Ambrosianae doctor (a. 1631), nomen sub-

Altior anni nota qua haec formula exornetur est 1603, quae in Francisci Patritii libris manu scriptis aliisque nonnullis invenitur; in codice **590** est 1604; in codice autem **54**, qui ab eodem Olgiato in ipsa notula emptus esse dicitur, est 1605. Post hunc annum haud amplius Olgiatus ea formula usus est, quamvis tamen non destiterit passim annum emptionis vel locum originis indicare. Quibus argumentis innixi haec pro certo habere possumus:

Loci emptionis vel derivationis codicum.

I. Codicum, Pinellianis exceptis, 268, de quibus in aperto est unde in Bibliothecam illati sint, empti fuerunt 43 in Italia superiore (nempe 32 Venetiis, 9 Patavii, 2 Mutinae), 34 in Italia media (nempe 23 Pisis, 11 Romae), 75 in Italia inferiore (quorum in Bruttiis 22), 113 Corcyrae, quo numero includuntur 44 volumina e Thessalia, 1 e Macedonia, 36 denique ex insula Chio advecta.

Anni quibus codd. in Bibliothecam invecti sunt.

II. Codicum 274 (vel 276, si, ut videtur, **504** et **660** iis adnumerandi sunt) de quibus, item Pinellianis exceptis, singillatim traditum sit quo anno Bibliothecam auxerint, 13 illati fuerunt a. 1600, singuli a. 1601 et 1602, 88 a. 1603 (43), 1 a. 1604, 3 forsitan

---

scripsit; item in 11 Ludovicus Antonius Muratori, in 7 Angelus Mai, quorum primus et notulas, alter autem et notulas et hic illic indices haud semper absolutos addidit.

(43) De cod. **803** incertum est quo anno immissus fuerit. Descripsit Iohannes Sanctamaura a. 1600, vidit autem Olgiatus a. 1603.

a. 1605 (nam in codicibus **69** et **558** nota temporis altera manu adscripta est), 105 a. 1606, 40 a. 1607, 4 (vel potius 3, codicem enim **504** huic anno dubitanter tribuimus) a. 1608, 21 denique (immo 22, si quidem his codex **660** addendus est) a. 1611. Qua in re id primo adspectu mirum videri poterit quod ex iis ipsis annis, in quibus maximam atque optimam codicum messem Federicum collegisse diximus, in altero, sc. 1607, 40, in altero, sc. 1608, tantummodo 3 aut 4 voluminibus Bibliotheca Ambrosiana sese ditaverit. Quae, etsi inter se repugnantia esse videntur, tamen facilius tibimet explicaveris si cogites Olgiato primum itinere impedito, deinde pluribus occupationibus distento in ordinanda ea librorum copia quae undique adfluebat tempus defecisse ad omnes codices inspiciendos in iisque illas notulas adponendas, quae ad eorum originem declarandam quam plurimum conferunt.

Quid vero attinet omnes codices recensere qui una aliave de causa nobiliores videntur? Qui sciunt, haud nobis ducibus indigent. Profecto ex iis nonnulli vetustate ac forma litterarum insignes notissimi sunt, ut Homerus quem post Angelum Mai iterum Antonius M. Ceriani et Achilles Ratti nuper in lucem phototypice protulerunt et illi quorum Wattenbach et Societas palaeographica Londinensis specimina evulgarunt (44). Codd. nobiliores.

(44) Homeri Iliadis pictae fragmenta Ambrosiana phototypice edita

Sed et alii exstant maximi quidem pretii, inter quos Pentateuchus s. V (**808**), in quo veluti in quibusdam antiquis Homeri codicibus (cf. Iliadem Bankesianam) centeni versiculi numerantur, et splendida illa Gregorii Nazianzeni volumina (**1014**), quae tam male habita ad nos pervenisse perquam dolendum est.

Codd. vetustissimi. Inter codices, quos vocant vetustissimos (s. IX-X) (45), indicabimus: **81** (Collectio epistularum, Pinelli), **139** (de re militari, eiusdem), **162** (Theodorus Studites, e Bruttiis), **249** (Catena in Iob, ?), **423** (Evangelia cum figuris, ?), **523** (Rhetorica, Mich. Sophiani), **681** (Miscellanea ecclesiastica et canonica, Pinelli), **783** (Psalterium etc., ?).

Codd. vetusti. Inter codices vetustos (s. XI-XIII): **1** (Miscellanea, e Magna Graecia), **65** (Iohannes Chrysostomus cum figuris, ?), **82** (Philippus Solitarius, Nic. Flori), **83** (Lexicon, Lucae Bonfii), **94** (Dorotheus, e Bruttiis), **121** (Sallustius philosophus, Homerus etc., Pinelli), **195** (Psalterium etc., ?), **227** (Pollux, e Tarento), **234** (Iosephus Flavius etc., e Corcyra), **237** (Commentarii

---

cura doctorum Ant. M. Ceriani et Ach. Ratti. Praefatus est Ant. M. Ceriani. Mediolani, ap. Ulricum Hoepli, 1905. — Wattenbach in op. quod inscribitur: Scripturae Graecae specimina (Berolini 1883) nonnulla expressit e codicibus **49. 127. 433. 490. 491. 809. 886. 889.** In op. a *Palaeographical Society* edita (London 1873-1894) specimina exstant codd. **93. 127. 325. 490. 1019.**

(45) In codicibus vetustissimis, vetustis et recentioribus definiendis a consueta horum vocabulorum significatione opportunitatis gratia aliquantum deflectimus.

in Aristotelem, Berolinensibus editoribus ignoti, ?), **260** + **1007** (Prophetae, ?), **265** (Demosthenes, Mich. Sophiani), **268** (Aristoteles, ex insula Chio), **302** (Aristoteles etc., Octav. Ferrarii), **350** + **352** (Nicolaus Mesarites, Francisci), **368** (Catena in psalmos, Pinelli), **370** (Iosephus Flavius, Gabr. Severi), **372** (Theodorus Studites, e Thessalia), **416** (Gregorius Nazianzenus cum figuris, ?), **433** (eiusdem carmina, ?), **435** (Aristoteles, Rovidii), **450** (Batrachomyomachia etc., Pinelli), **486** (Batrachomyomachia etc., Pinelli et antea Guidonis Novelli principis Ravennatis), **502** (Homerus, Lucae Bonfii), **512** (Aristoteles etc., Pinelli), **519** (Psalterium etc., Gabr. Severi), **534** (Miscellanea ecclesiastica, Man. Sophiani), **670** (Rhetorica, Pinelli), **671** (Leges, e Bruttiis), **682** (Miscellanea ecclesiastica et canonica, ?), **859** (Plutarchus, Pinelli), **881** (Plutarchus, Mich. Sophiani), **886** (Miscellanea metrica, Pindarus, Theocritus etc., Collegii Chalcorum), **889** (Demosthenes, Pinelli), **917** (Theodorus Lascaris Ducas, Barth. Chalci), **922** (Commentarii in Aristotelem, Berolinensibus editoribus ignoti, Pinelli), **1041** (Miscellanea ecclesiastica, e Thessalia).

Codd. recentiores.

Inter codices recentiores (s. XIV et XV): **74** (Homerus, Scholae Chalcorum), **88** (Apomasar et Palchus, Pinelli), **140** (de re medica, Gabr. Severi), **185** (Nicephorus Chumnus, ?), **230** (Isaeus etc., Pinelli), **299** (Homerus, Mich. Sophiani), **383** (Themistius etc., Pi-

nelli), **426** (Miscellanea, Pinelli), **434** (de re medica, Hieron. Mercurialis), **441** (Homerus, Pinelli et antea Friderici Montisfeltri ducis Urbinatis), **451** (Nicomachus Gerasenus et metrica, Pinelli), **455** (Themistius, Pinelli), **476** (Hymnarium, ?), **479** (Aristophanes, ?), **602** (Isocrates, ex insula Chio), **659** (Galenus, fortasse Hieron. Mercurialis), **665** (Hymnarium, ?), **873** (Nicetas Serronius, fragmenta Cononis et Eugenii, ?).

Codd. novelli. Inter codices novellos hos tantum recensebimus: **176** (Persa astrologus, Eugenii Cyprii), **552** (Excerpta de legationibus, Rovidii), **794** (Miscellanea chemica, Pinelli), **915** (Cyranides, ?), **932** (Cyranides, ?), **1080** (Miscellanea astrologica, Pinelli).

Neque silentio praetereunda existimamus complura Menaea, Synaxaria, Sticheraria etc., quae videsis in Indice I sub Libri liturgici.

Codd. palimpsesti. Palimpsesti 39, in quibus 25 eiusmodi sunt ut aetas a s. VI ad XIV sine difficultate indicari liceat. Ex his in primis memorandi codices **241** (Synopsis Basilicorum, e Soleto), **308** (Fragmenta Evangeliorum, e Thessalia), **358** (Fragmenta Basilicorum, Raph. Invitiati), **491** (Anthemii fragmentum, e Bobio), **587** (Psalterium hexaplare, ?), **1093** (Frontonis epistulae, e Bobio).

Codd. autographi. Autographa sunt 59 authentica, 8 dubia. In prioribus, praeter nonnulla quae scripserunt Maria Caietana Agnesi, Iosephus Auria mathematicus Neapolitanus, Baroccii Franciscus et Iacobus, Franciscus Cicereius,

David Colvillus Scotus, Nicasius Ellebodius, Ioh. Vincentius Pinellus etc., notandus est codex **329** manu Marsilii Ficini; in posterioribus oratio quaedam ad Venetos (cod. **551**), quam Petrus Bembus et composuit et fortassis exaravit.

Codd. nota temporis instructi.

Codices nota temporis instructi 111 sunt, quorum antiquissimus est papyrus (**1089**) a. 162 a. Ch. n., recentissimus autem codex **150** manu Davidis Colvilli, quem nuper nominavimus.

Librarii. Camillus Venetus. Manuel Morus Cretensis.

Etiam quod ad librarios attinet non pauca, nisi fallimur, ex codicibus nostris discenda sunt, quae ad eorum indiculos a Gardthausen, Omont, aliis confectos vel corrigendos vel amplificandos valent. Ut de ceteris taceamus, inter eos quorum nomen saepius legitur Camillum ⟨Venetum⟩ invenimus (cf. codicem **724**), qui fortassis idem est atque Camillus Bartholomaeus Zanettus sive *de' Zanetti* Brixianus. Qui, cum hactenus vix innotesceret (eius enim manu exarati tres vel quattuor tantum codices ferebantur), nunc repente laboriosissimis s. XVI scriptoribus adnumerandus est, quippe cuius 79 codices supersint, qui ut plurimum in libris Pinellianis servabantur. Neque neglegendum ducimus Manuelem Morum Cretensem, cuius scripturam, collato codice **908**, ubi nomen deprehendimus, in 23 aliis libris distinximus, qui item maxima ex parte Pinello pertinuerant.

Restat ut pauca dicamus de subsidiis quibus in

hoc opere conficiendo usi et de ratione quam secuti sumus.

Subsidia quibus usi sumus. Catalogus codicum graecorum Bibliothecae Ambrosianae typis impressus iamdudum vehementerque desiderabatur ab eruditis hominibus qui valde dolebant quod nequirent, nisi Mediolanum se ipsi conferrent, ea perscrutari et nosse quae in ditissima et celeberrima Bibliotheca condita essent. Nam sine dubio index mancus et imperfectus, quem festinanter, ex itinere italico reversus, concinnavit Bernardus Montfaucon, cuius ‘ nomini nullum par elogium ’, si suis temporibus multum ad communem utilitatem attulit, nunc et desiderio litteratorum hominum et studiorum rationibus non amplius sufficere poterat. Ad haec etiam iis qui se Mediolanum conferentes diutius in Ambrosiana versarentur, longe validiori auxilio erant humanitas et doctrina virorum insignium qui Bibliothecam regerent, quam indices quibus uti liceret. Cum enim Federicus a Collegii Ambrosiani doctoribus expresse catalogos edi vetuisset, his merito satius visum est et ad mentem patroni convenientius in singulis codicibus illustrandis quam in omnibus recensendis tempus consumere.

Ergo cum duodecim abhinc annos manum huic operi admovimus, non modo consentientes, sed faventes et quasi hortantes Bibliothecae curatores habuimus, in primis Antonium M. Ceriani, cui quam maximas gratias agere parum est. Quis enim dixerit quantam erga nos

benignitatem ostenderit? Ipse consilio et auctoritate nos adiuvit, ipse in familiaritatem suam et paene in familiam Ambrosianam admisit, ipse armaria patefecit, ipse interdum nobiscum codices inspexit, ipse denique omnibus viribus contendit, ut immanem laborem quodammodo levaret. Neque minore benevolentia nos prosecuti sunt Achilles Ratti et Iohannes Mercati doctores Ambrosiani, cl. et carissimi viri, quorum amicitia, donec sensus et vita manebunt, suavissima erit. Sed ad catalogum redeamus.

Inter subsidia, quibus usi sumus, ante omnia memorabimus tres omnium codicum Bibliothecae Ambrosianae catalogos, quorum prior a. 1612 (confecit enim Georgius Longus, eiusdem Bibliothecae custos (46)), posterior s. XVIII ex. vel XIX in., ultimus autem, cui titulus ' Manuductio ', circa medium s. XIX exaratus. Qui etsi potius indiculi nominum ordine alphabetico digestorum quam indices codicum sunt (nam neque recensionem manu scriptorum neque descriptionem voluminum continent), et duo potissimum antiquiores ne cunctos quidem codices indicant quos inde ab incunabulis Bibliotheca complectebatur, tamen non nihil

(46) « Antonio Olgiato singularis eruditionis, doctrinae, ac integritatis viro, primo Amb. Bibliot. Praefec. hosce manuss. codd. Indices summa diligentia, maximisque laboribus a se tandem confectos Georgius Longus eiusdem Bibliot. Custos primus perpetuae obseruantiae ergo D. D. D. Anno Sal. M.DC.XII III. Non. Feb. ».

aliquando conferre possunt ad locum dignoscendum, quem olim libri in Bibliothecae pluteis obtinuerunt. Quamobrem et diligenter contulimus et in voluminibus nonnullis describendis, ubi commodum fuit, aliquid ab illis in nostram rem convertimus.

Sed uberiorem fructum percepimus ex eorum investigationibus, qui sive Bibliothecae addicti sive studio tantum antiquitatis attracti Ambrosianos libros aut illustraverunt aut recensuerunt; atque hi sane multi. Nam inter eos qui quovis tempore in graecis litteris elaborarunt paucos invenies, qui codices nostros numquam tractaverint aut saltem noverint. Ideo multa sunt (nec prorsus certe cuncta vidisse confidimus), quae de libris manu scriptis Ambrosianis proferantur cum in praefationibus, recentissimis praecipue editionibus praemissis, tum in opusculis aut seorsum impressis aut ephemeridibus insertis.

His accedunt, qui seriei cuidam codicum describendae operam navarunt. E quibus nominabimus Angelum Mai, qui praeter codices Homeri (47) et Dionysii Halicarnassensis (48), palimpsestos, codices palaeographice insi-

---

(47) Iliadis fragmenta antiquissima cum picturis... edente Angelo Maio. Mediolani 1819, pp. XLIII-LII; de codicibus Ambrosianis picturatis ib. pp. VIII-XII in n.

(48) Dionysii Halicarnassei Romanarum Antiquitatum pars hactenus desiderata nunc denique ope codicum Ambrosianorum ab Angelo Maio... restituta. Mediolani 1816, pp. 168-171.

gnes (49) et libros picturis ornatos indicavit; Iohannem Bapt. Pitra, qui documentorum ad ius canonicum spectantium indiculum dedit (50); Casp. Renatum Gregory, qui Novi Testamenti codices recensuit (51); Guilelmum Studemund, qui de metricis (52), Car. Orestem Zuretti, qui de Aristophaneis (53), Constantinum Nigra, qui de Callimacheis (54), Hermenegildum Bolla, qui de Xenophonteis (55), Rudolphum Vári, qui de Oppianeis (56), Iosephum Bidez et Franciscum Cumont, qui de Iuliani imp. (57), Engelbertum Drerup, qui de Demosthenicis (58), Michaelem Krascheninnikov, qui de

---

(49) Spicilegium Romanum V 1 pp. 244-250: « De nonnullis codicibus Bibliothecae Ambrosianae mediolanensis, et primum de palimpsestis ».

(50) Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta... curante I. B. Pitra. Romae 1864-1868.

(51) Novum Testamentum graece... recensuit... C. Tischendorf. Editio octava critica maior. Vol. III: Prolegomena scripsit Caspar Renatus Gregory... Lipsiae 1894.

(52) Anecdota varia Graeca musica metrica grammatica edidit Guilelmus Studemund. Berolini 1886.

(53) C. O. Zuretti, Analecta Aristophanea. Torino 1892.

(54) C. Nigra, *Inni di Callimaco su Diana e sui lavacri di Pallade.* In *Rivista di filologia classica* XX 1892-93 pp. 200-212.

(55) E. Bolla, *I manoscritti Ambrosiani dell'Economico di Senofonte.* In *Memorie del r. Istituto lombardo di sc. e lettere. Cl. di lett. e sc. stor. e mor.* XIX 1893 pp. 121-131.

(56) R. Vári, Oppiani Cilicis codicum in bibliothecis hodie adservatorum series. In *Jahrbücher für classische Philologie* 1893 pp. 409-416.

(57) J. Bidez et F. Cumont, *Recherches sur la tradition manuscrite des lettres de l'empereur Julien.* Bruxelles 1898.

(58) E. Drerup, *Antike Demosthenesausgaben.* Leipzig 1899 (*Philologus, Supplementband VII*).

